



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Mvrmvratio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

ISTI dicuntur esse in articulo mortis, videlicet laborans febre continua, obsessus ubi machinae iaciuntur, obsessus ab hostibus volentibus eum occidere, navigaturus per loca periculosa, iturus per loca insidiosa, etate confectus, vel breuiter status cuiuslibet, arbitrio boni viri pensatis debitis circumstantiis, iudicantis talem esse in mortis articulo. & hæc est generalis regula, qua possit quis iudicari esse in articulo mortis: vt possit absolui, &c.

MORTVARIA.

MORTVARIA, supra, Exequiæ per totum.

MVLIER.

MVLIER, supra, Fœmina, per totum.

MVRMVRATIO.

MVRMVRATIO est quædam querela cum impatientia, in his, quæ homo debet patienter ferre: vt dicit quædam gl. super illud Sapient. 1. Custodite vos à murmuratione. Et committitur aliquando contra Deum, quando displicet alicui, quod non det prosperitatem, vel mittat tribulationem, vel quod non regat mundum modo nostro. Est etiam contra homines, quando scilicet quis conqueritur de re iusta, vel iniusta, sed non debito modo, vel non apud eum, cuius interest promerere, & licet communitè sit peccatum veniale, est tamen quandoque mortale: vt si ex ipsa fiat contra aliquod præceptum, vel propter scandalum, vel huiusmodi. De pœna murmurantiũ, vide Calienus. d. 90. Hoc vitium coincidit cum detractione, quamuis murmurationis nomine minùs significatur: vt dicit Caieta.

MVTLLARE.

MVTLLARE se, vel alium, est illicitum, secundum Th. secunda secundæ. q. 55. a. 1. & peccatum ex se mortale: quia notabile nocumentum inferatur sibi, vel proximo, quod est contra charitatem: nisi fiat propter salutem totius corporis, secundum artem medicinæ, vel per publicam potestatem, propter bonum commune. Macilata autem est membrum iuui-

le reddere, vel truncare. supra, Corpore vitiat. §. 1. Quomodo inducatur propter hoc irregularitas, supra, Irregularitas. §. 2. & 3. & Corpore vitiat. §. 2.

MVTVVM.

MVTVVM est, quod de meo fit tuum. ff. si cert. petat. l. 2. & consistit in his, quæ mensurantur, & ponderantur. in d. l. 2. Ex hoc sequitur, quod si res mutata pereat, etiam casu fortuito, periculum manet apud eum, qui mutuo accepit. l. incendium. c. si cert. petat. Res enim si pereat, perit illi, cuius est. Secus quando consignatur pecunia in bursa, tunc non est mutuum, sed depositum. ff. si cert. petat. l. si ab initio.

HABENS pecuniam sibi pro aliquo tempore inutilem, mortaliter peccat, si non mutuat indigenti petenti: secundum Sco. in 4. quia facit contra præceptum naturæ, & Christi. Luc. 6. Intellige tamen primò, quod sit tutus de retrahendo tempore opportuno. Secundò, in indigentia citra necessitatem, vel decentiam. Si autem esset extrema necessitas, debet commodate, etiam quod non esset tutus de rehabetendo. Si enim tenetur tunc subuenire, multò magis mutuate, supra, Eleemosyna. §. 3. Vide infra, Usura, quando non licet, per totum.

NAVFRAGIVM.

RAPIENTES res de naufragio, siue in mari, siue in litore, siue in aqua, mortaliter peccant: quia contra iustitiam agunt, & proximum notabiliter offendunt in bonis, & tenentur restituere. l. si quis ex naufragio. ff. de incen. rui. & naufrag. nec aliqua consuetudo potest exculare, quin sit futurum. ff. de acqui. rer. dom. l. qua ratione. in fi. Et si talis sit prælatus, vel clericus, debet deponi. c. dilecti. el. 1. de accu. si laicus debet excommunicari, si non restituat, vel est excommunicatus. de rapt. c. excommunicationi. supra, Excommunicatio 78. Intelligende spoliatis eos, qui ex iusta causa nauigant: secus de piratis, & hostibus fidei, qui nomini Christiano ini-

F 4 mican